

dam piissimi [augusti] et incliti filius. Si enim quod ad servorum dei quietem pertinet^a devotissima sollicitudine et regali providentia procuramus, ad emolumentum animae nostrae vel ad aeternam beatitudinem capessendam hoc procul dubio pertinere confidimus. Idcirco notum sit omnibus fidelibus sanctae dei ecclesiae et nostris praesentibus scilicet et futuris atque deo dispensante successoribus nostris, quia post pacem atque paterni regni divisionem cum fratribus nostris Hludouico videlicet et Hlothario miserante domino^b celebratam congregari iussimus populum, qui in nostram partem venerat, in pago Sisterico in loco qui dicitur Saltus cum sacris pontificibus et regni nostri principibus, ut^c communi tractatu ea, quae in quibuscumque ordinibus ecclesiae minus utiliter^d constare videbantur ob incuriam negligentium aut propter civilis belli tractatam violentiam, iuvante Christo in melius reformaremus^e et quae eatenus bene constiterant, regali providentia honorificentius complecteremur^f et firmiter roborare studeremus. Dum ergo talibus invigilamus atque divinam serenitatem^g iugiter crescere augerique devotissime optamus, sollicite requirentibus, qualiter commissum nobis a deo populum congrue ac decenter pio regimine gubernaremus, inter cetera innotuerunt nobis venerandi pontifices pervenisse ad conventus sui notitiam, qualiter Aurelianus, venerandus abbas nostri monasterii Athanacensis^h, divino tactus amore, ut supernae hereditatis portionem a domino consequi mereretur, ex quibusdam rebus, quas a parentibus pio studio quaesivit pieque impetravit, omnipotentem deumⁱ elegerit heredem easdemque res pro rei firmitate invice Christi Remigio venerabili archiepiscopo eo scilicet tenore, ut idem venerandus archiepiscopus viro venerabili Aureliano, qui loco abbatis praeesse et prodesse debeat, monachisque inibi habitantibus promptissima voluntate per testamentum firmissimum tradiderit ea scilicet ratione, ut in praedictis rebus in pago Lugdunensi^k non longe a Rhodano fluvio in loco cuius vocabulum est Saxiacus, idem venerandus Aurelianus cum monachis in honore omnipotentis dei et veneratione beatissimi Benedicti confessoris Christi sanctorumque^l martyrum Florentini atque Hilarii monasterium aedificaret monachosque ibidem institueret, qui et divinam in iam dicto loco exercerent militiam et pro totius ecclesiae statu divinam implorare clementiam decertarent. His ergo serenitatis nostrae auribus patefactis suggererunt clementiae culminis nostri memorati pontifices, ut quoddam privilegium supra memorato coenobio in honore omnipotentis dei et vene-

a) 'pertinere' B. b) 'misericordia domini' B. c) 'in' A. d) 'utiles' AB. e) 'reformarentur' B. f) 'complecteremur' B. g) 'servitutum' B. h) 'Athanatensis' B. i) 'dominum' B. k) 'Lugdunense' B. l) 'et sanctorum' B.